Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 229
Quelle:
Copyright:

Obijt 1426. (non igitur poſt 1432. ut perperam in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. p. 100.) *in die Sancti Georij martiris;* Expoſitio eſt *Cantici Canticor.* quam praeit 1) *Tabula ſecundum ordinem alphabeti;* 2) Conſpectus exactus Materiarum, quae ad ſingulos Verſiculos tractantur, demum Dicatio: *Reuerendo patri domino poncio dei gratia clarimontenſi epiſcopo frater thomas quantuluſcumque monachus ſe totum in exequendis mandatis impendere. Uehementer obſtupeſco* &c. Non niſi aegre hortatu *Pontii* ſe aggredi Opus dicit *poſt origenis mella, gregorij pigmenta, bede odoramenta, beati* (a. 1153. mortui, a. 1165. Sanctis adſcripti) *bernardi balſama* &c. Nec plura excerpo; editum enim eſt Opus a *Jod. Badio Aſcenſio Pariſiis* 1521. f. qui miro conſilio cum *Thoma* noſtro combinavit ea, quae reliquit in *Cantica Johannes Halgrinus, Hollegrinus, Malgrinus de Abbatisvilla* Card. Ep. *Sabin.* adprobata, ut ait, tempore *Gregorii* IX. a. 1233. Autore, de quo *Ciaconius* in *Vitt. Pont. et Card.* T. II. *col.* 79. e vita digreſſo a. 1236. aut 37. Praeceſſit igitur aetate *Thomas*, qui Expoſitionem ſuam ſcribere debuit inter annos 1170—87. poſterior enim annus *Pontii* Ep. extremus fuit. Erat is ante Epiſcopatum *Ciſtercienſis* pariter Monachus, et *Clarae Vallis* Abbas. An autem ad idem Coenobium pertinuerit Noſter, quamvis id editori *Badio* viſum fuerit, non liquet. *Valcellenſem* in ditione *Cameracenſi* credas, ſi *Carol. Viſchium* in *Bibl. Ciſt.* p. 312. audias. Aſt idem ead. pag. *Thomam de Perſenia*, et p. 310. *Thomam* ſimpliciter *Ciſtercienſem* Expoſitionis noſtrae Autores facit. Eandem *Joh. le Paige* in *Bibl. Praemonſtr.* p. 307. *Thomae Viconienſis* Eccleſiae Canonico tribuit, reprehenſus ideo ab *Oudino* T. II. p. 1575. Interim his omnibus *Indicem* ſuum inſerſit *Lelongius Bibl. ſacrae* T. I. p. 988. et 737. ubi Expoſitionem a *Badio* impreſſam, quam excitavi, dat *Thomae Gallo, Italo Pedemontano Ciſterc.* Abbati *S. Andreae Vercellenſis*, quod ex *Valcellenſi*, totque errores ex inſcitia aut incuria Librariorum in praefigendis Autorum nominibus ortos eſſe facile quivis ſtatuet.

CLI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 132 XIV. Folior. 73. f. per duas columnas nitide ſcriptus, rubricis diſtinctus, et a. 1540. ut προγεγαμμα frontis teſtatur, ab *Joh. Fabro* praeſtante illo *Viennenſium* Antiſtite legatus ſuo ad D. *Nicolaum* Collegio complectitur absque Autoris nomine: I. Commentarium in *Eccleſiaſticum* praevio *Capitulorum* CXXVIIII. Indice, quem *Prologus* Libri: *Multorum nobis et magnorum* &c. absque expoſitione ſequitur. Expoſitionis ipſius Prooemium incipit: *Summi regis palatium in quatuor conſumatur. in fundamento legis et prophetarum, in parietibus epiſtolarum apoſtolorum, in tecto quatuor evangeliſtarum, in interiore ornatu agyogra-*